444
444
E 1
E
1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

KW 444 E 1

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

Teſtamentorum & Quartarum Origine.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,
Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academiâ Lugd.-Batavâ Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

JOHANNES ZACHARIAS KRAUSE, TORGENSIS-MISNICUS.

Die 28. *Nov., horâ ac loco ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

J. N. D. N. J. C.

DE

Teſtamentorum & Quartarum Origine.

Thesis I.

Nemo neſcit voluntates morientium maximi apud omnes ponderis eſſe. Tanta enim immortalis animæ in corpore mortali dignitas eſt, ut poſt hujus corporis interitum ipſi in bona, quæ relinquit, prorogetur imperium. Et nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* inhumanum enim foret viventibus univerſorum bonorum diſponendi facultatem concedere, morientibus vero eam denegare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

II.

Hæc voluntatis diſpoſitio antiquiſſimis ſeculis fiebat à Patribus familias vel vivâ voce imminente jam fato *Gen.* 15. 3. & ut hæc voluntas hæredibus ſanctior eſſet, juramenta interdum ab iis exigere ſolebant *Gen.* 24. 23. *& ſeqq.* Vel etiam voluntatem ſuam ita declarabant, ut teſtamenta ante imminens fatum condita poſt mortem demùm ſuam promulganda curarent.

III.

Qui modus diſponendi multis poſtea non citra graviſſimas rationes magis placuit. Scilicet improviſo ſæpè fato homines obruuntur, aut à ſuis diſtracti ſupremam voluntatem exprimendi ſpatium & occaſionem non habent. Convenientius quoque judicabatur, ut animo ſereno atque integro per otium quis de rebus ſuis diſponeret potiùs, quàm ut in extremis conſtitutus trepidante & vi morbi concuſſâ mente hoc ſuſciperet. Sæpe etiam, qui morti proximi ſunt ſanitati iterum inſperato reſtituuntur, & ſic citra periculum ipſis non eſt, maturè ac palam hæredem nuncupaſſe, qui propter hæreditatem, quam ſpe jam devoravit, ſæpe vitæ ipſorum inſidias ſtruit. Ad exemplum Caligulæ, qui deriſores vocabat eos, qui ipſum inter liberos palam hæredem nuncupaverant, & poſt nuncupationem vivere perſeveraverant, multiſque propterea venenatas macteas mittebat *Sueton. Calig.* c. 38.

IV.

An hic de bonis diſponendi modus per teſtamentum ex jure Gentium ſit? Quæſtio eſt.

Affirmat eam Grotius *lib.* 2. *c.* 6. §. *ult. de I. B. & P.* Si enim jure

jure Gentium inter vivos contractibus diſponere poſſumus vi dominii de rebus noſtris, ut poſt mortem effectum habeat hæc diſpoſitio, cur non in teſtamento, quod nobis vivis fit? ipſa enim teſtamenti ſubſtantia cognata eſt dominio & eo dato juris naturalis. Et poſſum rem meam alienare non purè modò, ſed & ſub conditione. Reliqua quæ in hoc paragrapho ſequuntur, de induſtria omittimus, tanquàm à jure noſtro diſcrepantia. *vid. Magnif. Zigler. in Comment. ad Grot. h. l.* Negant eam alii, quia æquitati & naturali rationi inconveniens eſt, ut quis conferat alicui ſuum jus eo tempore, quo ipſe nullum amplius habet. Cum enim dominium & voluntas morte finiantur *arg. l. 4. ff. Locat.* & verò teſtamentum vires ſortiatur, & confirmetur demùm morte teſtatoris *l. 1. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Si dominii jure & jure Gentium teſtamento transferetur dominium in hæredem, transferretur illo tempore, quo dominium amplius teſtator non habet. Ut ergò hoc transferri poſſit opus eſt permiſſione juris civilis; quod quidem Principi hæreditatem, tanquam rem nullius addicere poſſet, ſed tamen eam potius ad heredem pervenire velit. Id quod vel inde etiam conſtat, quod jure noſtro res hæreditariæ nullius eſſe in bonis dicantur *l. 1. ff. de R. D.* Quod nullius libertus ſit, qui defuncti libertus eſt, *l. 4. ff. de bon. libert.* Quod furtum rerum hæreditariarum non committatur *l. fin. ff. Expilat. hæred.* quodque olim calatis Comitiis teſtamenta fuerint facta, quo opus non fuiſſet, ſi ex diſpoſitione nuda & ratione juris naturalis ea res penderet. *Fransk. Exercit. 6. q. 1.*

V.

Opinio Grotii videtur verior eſſe: diſtinguendum enim eſt inter diſpoſitionem, & diſpoſitionis executionem, inter voluntatem quæ finitur ratione factæ diſpoſitionis, & futuræ.

Diſpoſitio quæ fit in teſtamento, fit eo tempore, quoquis Dominus adhuc exiſtit, executio fit eo tempore, quo quis dominus exiſtere deſiit. Ad exemplum ejus qui poſt mortem ſuam dare promiſit *§. 12. J. de inutil. ſtipulat.* Et voluntas finitur ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

futuræ diſpoſitionis, non autem ratione diſpoſitionis jam factæ: Hæc enim inſtar legis eſt N. 22. c. 2. & res hæreditariæ relinquendæ ſunt in eo ſtatu, quo fuerûnt tempore mortis *§.2. I. ad L. F. l. ult. C. de Revoc. donat.*

Nec obſtat quod quælibet diſpoſitio facta credatur eo tempore in quod confertur *l. 9. §. 1. ff. de jur. dot. l. 4. C. donat. ante nupt.* Et quia hæc diſpoſitio confertur in id tempus, quo quis mortuus eſt, quod videatur eſſe facta poſt mortem. Nam (1.) falſum eſt illud axioma in negotiis inter vivos *vid. §. 2. J. de V. O.* ibi id autem quod in diem (2.) in ultimis voluntatibus, aliàs enim fruſtrà requirerentur tria tempora, quibus teſtamenti factio debet eſſe cum hærede, & ſufficiret, ſi cum eo eſſet teſtamenti factio tempore mortis: coutra §. 1. *J. de hæred. qualit. & differ.* Teſtamentumque quod ab inhabili conditum eſſet, valeret, ſi modo tempore mortis haberet Teſtamenti factionem contra *fin. princ. & §. ult. J. Quibus non eſt permiſſ. fat. teſtam. l. 1. ff. de Reg. Caton. l. 29. &. penult. ff. de R. I.* (3.) *Lex 9. ff. de jur dot.* potius confirmat noſtram opinionem: neque ibi dubitatur de tranſlatione dominii ideò, quod diſpoſitio videatur eſſe facta à teſtatore poſt mortem, ſed quod ſtatim à morte teſtatoris dominium tranſierit in hæredem, & quod ſic non potuerit aufferri invito hæredi, & poſtmortem teſtatoris transferri in eam, cui dos erat conſtituta.

Lex 4. C. *de donat. ante nuptias* reſolvitur ex *l. 1. §. fin. ff. de donat.* & ibi donatio ſponſæ facta non valet, quia ex eventu fit donatio inter maritum & uxorem: non per collationem factæ donationis in tempus exiſtentis conditionis, ſed per retrotractionem. Res hæreditariæ dicuntur nullius; non reſpectu teſtatoris, jacens enim hæreditas teſtatorem repræſentat. *l. 31. ff. de hæred. Inſt.* ſed reſpectu hæredis, qui hæreditatem non dum adiit. Quo ſenſu etiam dicitur hæreditati non fieri furtum; Furtum enim fit regulariter invito eo, qui actione illud proſequi poteſt, §. 1. & 11. *J. de Oblig. ex delict.* Jacens autem hæreditas quoad actiones inſtituendas, & noviter acquirendas teſtatorem non repræſentat; Hæc omnia enim morte ejus finiuntur. *arg. l. 4. ff. Locat.*

Calatis Comitiis fiebant olim teſtamenta; non quod jus teſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

ſtandi ex jure Civili tantum flueret: ſed ut ultima noſtra voluntas ſolennior eſſet, & ſic publicè quaſi inſinuaretur.

Hinc dicimus, teſtator dum adhuc dominus eſt diſponit, jus autem quod teſtatori hanc facultatem conceſſit, poſt mortem dominium in hæredem transfert. Non autem neceſſariò eſt Jus Civile, ſed & jus Gentium eſſe poteſt: Non enim minor debet eſſe vis & poteſtas juris Gentium, quam quæ eſt juris Civilis.

Imò non omninò quis erraverit, ſi dicat: & diſpoſitionem & tranſlationem fieri ab ipſo, & quidem vivo teſtatore: Momentum enim mortis vitæ adnumeratur, & hæres quando adit hæreditatem videtur à morte teſtatoris adiiſſe, & ſic quaſi è manibus teſtatoris eam accepiſſe. Tempus enim aditæ hæreditatis & mortis conjunguntur. *l.* 54. *ff. de. A. vel A. H.*

V I.

Dum teſtamentum dicimus originem ſuam trahere ex Jure Gentium, à quo ſunt dominiorum diſtinctiones *l.* 5. *ff. de I. & I.* non volumus illud nullâ ratione poſſe dici eſſe ex Jure Civili: Teſtamenti enim factio juris Publici eſt *l.* 3. *qui teſtam. fac. poſſ.* ſed id intendimus, ut probemus, ſi teſtamenta ſi abſolutè & extra diſpoſitionem Juris Civilis conſiderentur, eſſe Juris Gentium; Quia fluunt ex dominio ſeu libera diſponendi facultate de rebus *l.* 5. *ff. de I. & I. junctâ l.* 14. *C. de contrah. empt. & l.* 21. *C. mandat.* Si enim relatè conſiderentur ad hanc vel iſtam Remp. jus civile formam illis præſcribit. *vid. tot. tit. ff. & C. de teſtam. &* Ludovic. Molin. *tract.* 2. *diſp.* 124. Ubi inter cætera, verba hæc habentur: Poſitâ rerum diviſione, de Jure Gentium eſt, imò & naturali, quod unuſquiſque de rebus ſuis diſponere poſſit per ultimam voluntatem, ſicut poſteà earundem diviſione de Jure Gentium, imò & naturali eſt, poſſe celebrari permutationes & alios contractus ex illiſque conſurgere obligationem: De jure tamen civili eſt, quod hoc tantum vel illo modo, & cum hac vel illa ſolennitate, & non aliter per ultimam voluntatem diſponatur, juxta leges particulares; aut conſuetudines præſcriptas cujuſvis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Reipubl. aut loci, ſicut etiam Jure Civili multa circa contractus legibus ac conſuetudinibus variis in locis ſunt introducta.

VII.

Hinc eſt quod interdum Legiſlator non ferat uſum teſtamentorum in Repub. ſi exiſtimet magis eſſe utile Reip. Sic inter arcana Oliarchiæ conſervandæ refert *Ariſt.* 5. *Pol.* 8. ut hæreditates non teſtamento, ſed agnatione deferantur, & ad eundem non plures unâ. Sic enim facultates magis futuras æquabiles & tenuiorum plures locupletes 2. *Pol.* 7. dicit; quod lege de antiquis hæreditatibus conſervandis apud Leucades ſublatâ, eorum Reſpub. facta ſit popularis. Ante Solonem Athenis teſtamenta non fuerunt condita, referente Plutarcho *in Solone* apud antiquos Germanos Teſtamentorum uſus nullus fuit *Tacit. de morib. German. c.* 20.

VIII.

Interdum autem teſtandi libertatem reſtringit vel ratione bonorum; ut apud Hæbreos, qui de bonis immobilibus teſtari non poterant, niſi forte inter ipſos, qui aliàs lege ſuccedebant *Deut.* 21. *Ibid. Selden. de Succeſſion. ad leg. Hebræ. c.* 22. 24. De feudo teſtamentum invito domino fieri non poteſt 1. *F.* 8. 2. *F.* 9. §. 1. Item de bonis fideicommiſſariis *l.* 2. *C. Comm. de leg.* Item de bonis vel profectitiis vel adventitiis, ſive Pater in iis uſumfructum habeat, ſive uſumfructum in iis non habeat; etiamſi hoc permittat *in pr. l. Quib. non eſt permiſſ. facere teſtam.* Vel ratione perſonarum *vid. l. dict. tot. tit.* evenire enim poteſt, ut cum viliſſimis è fece plebis hominibus largiatur ut poſſint de bonis ſuis per teſtamenta promiſcuè diſponere civium nobiliſſimis ejuſdem Reip. leges hoc denegent *vid. Gentil. ad l.* 120. *de V. S.* Vel ratione modi ita ut leges quidem teſtandi facultatem concedant,

ite-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

interim tamen certum modum præſcribant; tum in iis, quæ teſtamenti formam reſpiciunt; tum in iis, quæ neceſſariò penes hæredes manere debent; prout nimirum uniuſcujuſque Reip. utilitas & neceſſitas propria hoc exigit *l. 6. d. l. & l.*

I X.

Ita cum apud Romanos inter nobiliora civitatis Romanæ, ſeu pleniſſimæ libertatis capita fuerit teſtamenti factio *arg. l. 8. l. 20. §. 7. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Sigon. lib. 1. de antiquit. Jur. Civ. Rom. c. 12.* & tamen propter ampliſſimam teſtandi facultatem quæ ll. XII. tab. erat conceſſa; uti enim quiſque rei ſuæ legaverat ita jus erat, ſupremæ voluntatis ſæpius iniquæ, ſæpius ſine exitu eſſent. Certus modus præſcriptus eſt in teſtamentis obſervandus, non tantum in ſolennibus, ſed etiam circa portionem, quæ apud hæredem manere debet: Ita ut iſto modo non obſervato interdum teſtamentum ſit ipſo jure nullum *l. 5. C. de ll.* interdum verò reſcindatur *tot. tit. de inoffic. teſtam.*

X.

Pro diverſitate hæredum, qui in teſtamento inſtituti ſunt, hæc portio diverſa nomina habet. Si ſint liberi, vel Parentes, vel fratres dicitur legitima *l. 30. C. de inoffic. teſtam.* quarta naturæ *§. ult. Inſt. eod.* debitum naturale *l. 36. §. 2. C. eod.* debita portio *l. 30. dict. tit.* debitum bonorum ſubſidium *l. 5. C. de inoffic. teſtam.* Si ſint alii hæredes legatis onerati dicitur Falcidia *l. 1. ff. ad L. F.* Si ſint fidei commiſſis onerati dicitur à Dd. Quarta Trebellianica *l. 1. de Fideicommiſ. hæred.* Ita tamen ut ſi fortè liberi, vel alii quibus legitima debetur legatis vel fideicommiſſis ſint gravati legitima ipſorum veniat nomine Falcidiæ & Quartæ Trebellianicæ *l. 8. §. 9. ff. de inoffic. teſtam.* nequè in iſtorum perſonis quarta legi-

rima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

tima Falcidia & Trebellianica ſunt diſtinctæ Quartæ *l. 6. C. ad SCt. Trebell. l. 24. C. famil. Erciſ. l. 8. §. 11. de inoffic. teſtam.*;

X I.

Quia liberi vivis Parentibus ſunt quaſi Domini rerum Paternarum *l. 11. ff. de lib. de Poſth. hæred. Inſt.* & ratio naturalis quaſi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addicit *l. 7. ff. de bon. damnat.* adeò ut ſi ſine meritis ab eâ excludantur iſtiuſmodi voluntates impiæ ſint *vid. Grot. lib. 2. de I. B. & P. c. 7. §. 4.* legitima ſine dubio omnium Quartarum prima erit. Cum enim inſtinctus naturalis à rectâ ratione directus Parentum bona poſt mortem ipſorum liberis addiceret, neque tamen determinaret, Quanta bonorum pars ipſis relinqui deberet, jus civile meritò hoc ita determinavit ut & liberis conſuleretur, & tamen morientibus facultas eſſet de parte bonorum ſuorum teſtandi, iiſque alios etiam adjuvandi. Hæc portio cum ſit debitum naturæ in totum tolli non poteſt; Lege tamen civili variè determinari, minui & augeri poteſt *vid. N. 18. c. 1.* in qua vel ad trientem vel ad ſemiſſem hodie aucta eſt in omnibus perſonis, quibus ea debetur: Olim erat Quarta *§. ult. I. de inoffic. teſtam.* Quomodo aliàs hæc determinatio cum jure naturæ conveniat, vel non conveniat *vid. Grot. dict. c. 7. §. 4. in fin.*

X I I.

Quo autem tempore legitimæ determinatio & quidem noſtro jure civili ſit facta, in obſcuro eſt. Admodum probabile eſt, quod ad exemplum L. F. invaluerit, tùm, quia à Falcidiâ ad legitimam argumenta ducuntur *l. 8. de inoffic. teſtam.* tum, quia paſſim Falcidia vocatur *l. 31. C. eod. N. 32. in pr.* Verùm cum Lex Falcidia demum Auguſti temporibus lata ſit, quærela autem inofficioſi non ita multò poſt ll. 12. tab. interpretatione JCtorum

indu-

inducta *fac. l. 30. de lib. & Poſth.* videtur eodem tempore fuiſſe conſtitutum; ut ſi parentes aliquid ſaltem liberis ſuis in teſtamento reliquiſſent ii illud inofficioſum dicere non potuerint; uſque dum poſteà SCto aliquo hoc ad quadrantem fuit redactum *Confer. tot. tit. I. de inoffic. teſtam.* Hoc itaque in ſtatu libero moribus recepto in perſona liberorum; etiam poſtea ad parentes & fratres extenſum eſt *vid. l. 27. C. de inoffic. teſtam.*

XIII.

Ad exemplum Quartæ legitimæ poſteà aliis hæredibus videtur Quarta Falcidia eſſe conceſſa tempore Auguſti. Cum enim hæredes ob nullum vel minimum lucrum hæreditatem adire nollent, & ſic cum Reip. damno ultimæ voluntates exitum non haberent *l. 5. ff. quemad. teſtam. aper.* In hæredum & teſtatorum gratiam variæ leges latæ ſunt, & quidem primò Furia & Voconia; quæ cum non ſufficirent; Poſteà Lex Falcidia, quâ teſtatori tantum liberum erat diſponere de dodrante, quartæ verò pars neceſſariò penes hæredem manebat *in pr. I. ad L. F.* Adeò ut ejus deductionem prohibere non potuerit *l. 15. §. 1. & ult. ff. ad L. F.* & poſteà ad exemplum Falcidiæ, Trebellianicæ ex fideicommiſſis univerſalibus.

XIV.

Quarta Divi Pii, quæ liberis impuberibus arrogatis iniquè emancipatis vel exhæredatis debetur ab his eſt diverſa; & omnium bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, & propter hanc quemadmodum propter legitimam non relictam non datur querela inofficioſi *l. 8. §. 15. de inoffic. teſtam. l. ult. ſi quid in fraudem Pat. l. 2. C. de Adopt.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 1